



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1845

DCLXXIX. Otto, Herr von Dänemark Herzog von Estland und Laland,
überweist den Markgrafen Ludwig von Brandenburg, in Rücksicht auf
dessen Vermählung mit der Prinzessin Margarethe von Dänemark, das ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56193)

mutare in quemcunque usum, aut transferre in quemcunque vel ad quoscunque, cujuscunque conditionis et status fuerint, et libere et quiete possint ipse sororius noster aut sui successores legitimi, si quando ipsis videbitur expedire. Si etiam homines dicte terre cum omnibus munitionibus ad dictam terram spectantibus, ut premissum est, se cum eorum bona voluntate ad illustrem Marchionem Brandenburgensem Ludouicum, sororium nostrum dilectum, vel ad illos, cui vel quibus dictam terram dare, vendere vel permutare vellent, diuertere nolent, extunc cum omni nostra potentia, qua possumus, artare volumus, ut sibi suisque veris heredibus, cui vel quibus dictam terram dederit vel permutauerit, obediant ac omagium faciant, tanquam suo vero ac legitimo domino ut tenentur. Promittimus etiam presentibus data fide ac sincera, quod quam primum ex omnipotentis dei gratia in reges dacie uncti vel coronati fuerimus, extunc ipsi Ludouico, marchioni brandenburgensi, sororio nostro karissimo, illi vel illis, cui vel quibus dictam terram dare, vendere aut permutare decreuerit, presentes literas debemus et volumus cum omnibus suis articulis superius expressatis innouare, renouare, omni dolo excluso, cum per ipsum vel per ipsos fuerimus requisiti. Vt hec omnia et singula premissa a nobis et a nostris successoribus firmiter ac inuolabiliter obseruentur, presentes literas nostri sigilli munimine iussimus ac fecimus roborari. Testes huius sunt nobilis vir dominus Laurentius regni dacie dapifer, strenuus miles C. dictus preyn, honorabilis vir dominus gerhardus, terrarum Errie et Doslandie prepositus, nec non Syfridus de Orebur nostre curie Marschalkus, boetius dictus valke, Johann dictus becker, nostre terre lalandie aduocatus, frendo filius koruli et alii quam plures fide digni. Datum Saxcopingin, anno domini M^o. CCC^o. XXXIII^o. quarta feria ante festum beatorum martyrum Dyonisii et sociorum eius.

Nach dem Copialbuche des Geh. Kab.-Archives I. C. 4 in quarto. Bl. 20. Fehlerhaft abgedruckt bei Gercken Cod. I, 153.

DCLXXIX. Otto, Herr von Dänemark Herzog von Estland und Laland, überweist den Markgrafen Ludwig von Brandenburg, in Rücksicht auf dessen Vermählung mit der Prinzessin Margarethe von Dänemark, das Land Reval, am 6. October 1333.

NOs Otto, dei gratia danorum domicellus, Estonie et Lalandie dux, omnibus cristi fidelibus, presentibus et futuris, ad quos presens scriptum peruenerit, cupimus in perpetuum fore notum, Quod cum mero ac libero consensu Illustris woldemari, fratris nostri predilecti, Illultri ac magnifico principi et domino, domino Ludouico, marchioni brandenburgensi sororio nostro karissimo, ob aspectum matrimonii, quod cum predilectissima sorore nostra Margareta contraxit, dimissimus et presentibus dimittimus atque resignamus terram Reualiensem, (jus) presentandi episcopum et quidquid juris ad dictum episcopatum habemus et omnes et singulas munitiones, que in illa terra sunt, cum omni iure, libertate et proprie-

tate ac cum omnibus pertinentiis ad ipsam, perpetuo tempore obtinendam, prout ipsam nostri progenitores reges dacie, proprietates ac possessiones eiusdem terre tenebant et possederunt, Ita tamen quod dictus dominus Ludouicus, marchio brandenburgensis, sororius noster karissimus, dictam terram Reualiensem cum omnibus suis pertinentiis vendere, donare ac permutare poterit et transferre in quemcunque usum et in quascunque personas, cuiuscunque conditionis et status fuerint, libere et quiete. Adicimus quoque in amplius, quod antedicta terra Reualiensis, jus presentandi episcopum et quidquid iuris ad dictum episcopatum habemus, proprietates et alie possessiones quecunque ad ipsum regnum dacie deinceps nullum respectum habeant nec debeant aliquo jure, nomine ipsius regni repeti aut in perpetuum ad ipsum reuolui, nisi dictus dominus Ludouicus brandenburgensis, sororius noster dilectus, aut sui veri heredes aut illi, quibus illi vel ille terram Reualiensem vendiderunt, donauerunt vel permutauerunt, nobis et nostris successoribus de eorum bona voluntate vendiderint terram suprascriptam. Nolumus etiam ut ex premissa donatione seu dimissione dicte terre predilectissime dicte sorori nostre margarete ad veram sue hereditatis partem, prout alie filie regum in dacia hereditate consueuerant ab antiquo, aliquod dampnum siue prejudicium generetur. In cuius rei testimonium presentia nostri sigilli munimine iussimus et fecimus roborari. Testes hujus sunt nobilis vir dominus Laurentius Johannis regni Dacie dapifer, dominus Cunradus dictus Preyn miles, dominus Gerlacus, terrarum Erre et Doslandie prepositus, Syfridus dictus de Oreby curie nostre marchalkus, boetius dictus valke, Johannes dictus becker nostre terre Lalandie aduocatus et quam plures alii fide digni. Datum Saxepingin, anno domini M°. CCC°. XXXIII°. proxima quarta feria ante festum beatorum martirum Dyonisi et sociorum eius.

Nach dem Copialbuche des Geh. Kab.-Archives I, C. 4 in quarto Bl. 22. — Gercken's Cod. I, 158.

DCXC. Otto, Herr der Dänen, Herzog von Estland und Laland, macht dem Kaiser Ludwig die Anzeige von der Abtretung des Landes Reval an des Kaisers Sohn, den Markgrafen Ludwig von Brandenburg, am 6. October 1333.

Eccellentissimo principi et domino, domino Ludouico, Romanorum Imperatori inuictissimo, semper augusto, Otto, dei gratia danorum domicellus, Estonie et Lalandie dux, seruitium suum in omnibus tam beniuolum quam paratum. Vestre excellentissime ac inuictissime dominationi cupimus fore notum, quod ob aspectum matrimonii, quod illustris Ludouicus, marchio brandenburgensis, vester primogenitus, sororius noster dilectus, cum dilectissima sorore nostra margareta contraxit, nos terram Reualiensem, ius presentandi episcopum et quidquid iuris ad dictum episcopatum habemus, cum omnibus munitionibus infra dicte terre districtum iacentibus, videlicet Reuale castrum et ciuitatem, Wefenberge castrum et ciuitatem ac Narwe castrum et ciuitatem, in terra Estonie